



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

1. De Conceptione beatæ Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

nis in utroque articulo est, qua emitur res aliena sine consensu veri domini.

Tertius est, an in huiusmodi casibus in ementibus scienter tota resolutio sumenda sit ex intentione utilitatis propriae, vel domini, ita quod ementes pro sua totaliter vel principaliter utilitate, sint mala fidei possessores, ementes autem pro domini principaliter emolumento recte faciant, pretiumque repetere possint. Ad quae respondeo, quod per se loquendo nulli licet emere rem alienam sine consensu veri domini, & si quis emit, et bona fide tenet ad restituendum rem emptam, quam habet, vero domino, nec potest pretium solum petere a vero domino, quia tenetur ad restitutionem non ratione iniustae adeptionis, sed ratione rei alienae, quae apud ipsum est. Nec hoc est verum in dubio loquendo per se, & proprie. Dico autem per prius: quia magni refert emere vel redimere, nam emere huiusmodi aliena non licet, redimere autem licet, sed redimitur is solus, qui vice veri domini redimit occupatam ab aliis rem illius, unde non redimit, nisi qui personam veri domini induens, significatus est vero domino, ut rem suam recuperet redemptionis pretio soluto. Nec solum licet, sed prius est redimere iustiori pretio huiusmodi res. Emere autem proprie & per se non licet. Dico autem per se, accidens potest esse licitum, ut si cognoscam res raptas fuisse con sanguinei mei, impotentis redimere & destituti omni spe recuperandi res suas, & presumes gratum esse con sanguineo meo, quod ego firmare bus sic irreparabilibus, emam illas. Sed eorum, quae contingunt per accidens, non est certa regula.

Quartus est, an dictum cuiusdam doctoris dicentis, quod probabiliter credo, quod totaliter emens paratus reddere vero domino, si comparuerit, credens

tamen quod non comparabit, & consequenter sperans pro se rem habiturum, non peccat: quia verisimiliter potest de veri domini voluntate presumere, rem in conscientia tutam, & aliis divulgandam. Ad quae pater ex dictis responsio, scilicet nec per se explicitum (quoniam ratione rei alienae tenetur ad restituendum vero domino sine pretio, quando res est apud eum: nec illa adeptio caret iniuria, ex eo quod notum emendi est, quod res est aliena) nec per accidens apparet aliquid speciale excusans adeptionem, quoniam communia tantum proponuntur in articulo.

Quintus est, an emat recte quis ex pietate calices & huiusmodi sacra dedignatus, quod manet apud infideles, daturus propria auctoritate ea occurrenti ecclesiae, habito pretio. Et huic adiungitur, an dominus talium sit censendus omnino ignotus, ita ut notitia regionis puta Vngariae. Ad quam respondetur, quod hoc est unum per accidens reddens licitam emptionem. Zelus enim Dei humanis omnibus preferendus efficit, ut licite quis haec redimat de manibus infidelium redditurus, etsi non illi ecclesiae calices dominae, quae nescitur, attamen ecclesiae Christi significando ecclesiae cui datur, ut quantum in se est, & publice & teneat pro ecclesia cuius erat, & est restitutio pretio redemptionis. Et quamvis non censenda sit ecclesia omnino ignota, cuius regio scitur est tamen maior presumptionis locis ex hac religiosa causa uni ecclesiae de alia quam mihi de con sanguineo meo, quoniam unica domus est uniuersa per orbem ipsa Christi ecclesia. Haec sunt, fili charissime, quae mihi occurrerunt respondenda. Bene vale, & ora pro me. Romae die 27. Nouembris, 1529.

Primi Tomi opusculorum Thomae de Vio Caietani Cardinalis S. Xysti finis.

TOMVS SECVNDVS
OPVSCVLORVM THOMAE DE VIO
CAIETANI, CARDINALIS SANCTI
XYSTI CUIVS SVNT TREDECIM
VUTILISSIMI TRACTATVS.

- 1 De conceptione beatae virginis.
- 2 De Eucharistiae sacramento.
- 3 De celebratione missae.
- 4 De valore orationum dictarum ab audientibus missam in die festo.
- 5 De praecepto elemosinae.
- 6 De monie pietatis.
- 7 De cambijs.
- 8 De usura.
- 9 De simonia.
- 10 De usu spiritalium rerum in peccato mortali.
- 11 De notis.
- 12 De solutione maleficij opera malefici ad hoc parati.
- 13 De psalmo beatae Virginis.

TRACTATVS PRIMVS
 De conceptione beatae Mariae Virginis ad Leonem decimum Pont. Max. in quinque capita diuisus.

SVMMA RIVM.

- 1 De duplici via discernendi ea quae fidei sunt, vel ei aduersantur.

- D 2. Quaestio de conceptione, quomodo non sit de necessario credendis.
3. Quae de conceptione sententia fidei aduersetur.
4. Sententia tenens beatam virginem fuisse in originali conceptam, quam probabilis existat.
5. Quantum valeant argumenta quae tenent oppositum.

CAPVT PRIMVM.

De duplici via discernendi ea qui fidei sunt, vel ei aduersantur.

E Angustum felixque sit, Leo 10. Pont. Max. quod de supremo potestatis tuae ope prima offerenda tuae beatitudini lucubratiunculae cum sese obtulit. Definitio secretorum Christianae fidei, quae nosse soli Deo natura conuenit, in medium uenit, propositum est, ut decernas in Lateranensi synodo utrum Deus beatissimam Virginem Mariam a peccato originali praeserua uerit, an mun dauerit. Quocirca duo occurrunt feribenda. Primum, viae discernendi ea quae sunt fidei, modique quibus aliquid huiusmodi credendum decernitur, explicabuntur: deinde iuxta singulos Opusc. Caiet. N 3 modos

modos per vias ipsas sermonis egressus dirigetur. Dux sunt viæ, quibus decerni potest religioni Christiana quid credendum sit, altera ordinaria, altera extraordinaria. Ordinaria est diuina reuelatio facta in primis authoribus sacre Scripture contenta in canonicis libris Biblia, traditionibusque Apostolorum in simbolo & aliis, quæ constat Ecclesiam per Apostolos suscepisse, ut sacramenta. Reuelatio deinde facta apostolicæ sedi sine cû synodo, siue sine synodo. Hec enim differentia ad solemnitatem, & congruitatem spectat iudicii apostolici de his quæ sunt fidei, & non ad necessitatem; ut vniuersa testatur Ecclesia, Hæreticos in dubiis tenens, qui ab apostolica sede damnatam hæresim sectantur. Reuelatio demum facta sacris doctoribus, his præcipuè, quorum & vita & doctrina approbata est ab ecclesia. Sed est inter hæc distantia multa: quoniam reuelationi contentæ in sacra Scriptura, & de creatibus fidei in hæremus tanquam necessariis ita quod se hæreticum comprobat quicumque pertinaciter alicui horum aduersatur. Reuelationi autem factæ sanctis quorum doctrinam ecclesia suscipit, tanquam probabilibus in hæremus, ut dicitur Augustinus. Thomæque scripserunt, & magistra rerum experientia cõtinua testatur. Nec refert in sacra Scriptura & aliis, an aliquid sit reuelatum explicite (ut creatio mundi, incarnatio Verbi Dei, & alia huiusmodi) an implicite ut sunt omnia illa quorum opposita non possunt sustineri cum veritate sacre Scripture & aliorum quæ certa fide scimus: nisi quod ingenio, labore, rone, & intellectu opus est, ut manifestetur hæc quæ implicite dicuntur contineri esse necessario connexa illis in quibus contineri dicuntur. Quo fit, ut in istiusmodi rebus antequam constet quid necessario cõnexum sit certis & indubitatis fidei traditionibus, vnicuique liceat quod rationabilis sibi videtur amplecti, sine pertinacia tamen. Et hinc rationibus locus datur ad ea, quæ sunt fidei, ut afferantur rationes ostendentes consona, aut dissona esse fidei, quæ in dubium uertuntur. propter quod oportet omnes rationes ad ea, quæ sunt fidei non ex solo naturali lumine, sed ex lumine diuinæ reuelationis in prædictis contenta procedere, & diuinæ reuelationis in prædictis contenta resolueri. Et ideo non ratio, sed diuinæ reuelationis, non cuiusque, sed prædictis facta est, cui fides nostra innititur: & secundum eam oportet decernere quicquid in fide decernendum est. Extraordinaria uero uia, qua potest aliquid decerni in fide, esset, si miraculo, quod uerè miraculum esset, Deus attestaretur aliquid ad fidem spectans. Sed hic esset opus cautela magna: tum ex parte operum miraculorum: quoniam Angelus Satanae transfert se in Angelum lucis: & signa & prodigia facere multa potest, quæ nos uere miracula a solo Deo factibilia putaremus, ut opera sanitatis, & elementorum, & similia. Vnde & Antichristus facturus dicitur tot miracula in oculis hominum, ut si fieri posset, etiam electi fallerentur. Tum ex parte illusionum, ut contingit in prestigiis. Tum quia signa Apostoli 1. ad Corinthios 14. & beato Gregorio in homilia 10. data sunt infidelibus, non fidelibus, ecclesia uerò tanquam fidei, non infideli data est reuelatio prophetica & apostolica. Vnde uia signorum est a Domino data Marci, uel propter infideles & ab ecclesia approbata quo ad fidem personalem, scilicet dicentis se missum a Deo, ut in c. ex iniuncto. extra de hæreticis men nisi coram Ro. Ecclesia euidentissime fieret, uerum & indubitatum non mirum, sed miraculum expresse ad testificandum hoc esse uerum, non de-

beret Romanus pontifex determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac uia. Et ratio est, quia habemus a Deo ordinariam uiam decretorum fidei in tantum ut si Angelus de cælo oppositum huius ordinariæ uiae diceret, non esset ei credendum, ut Apostolus dicit ad Galatas. Accedit ad hæc, quod miracula quæ ab ecclesia suscipiuntur in canonizationibus Sanctorum, quæ tamen maxime authenticæ sunt, quum humano testimonio innitantur (eorum scilicet qui testantur) non omnino certa sunt: quoniam scriptum est: Omnis homo mendax: licet sint certa more humano, fidei autem Christianæ certitudo non humano more certa esse debet, sed infallibile omnino debet habere testimonium: quale nullus homo, sed solus Deus præstare potest. Vnde & Petrus Apostolus celestis uocis in transfiguratione Domini a se audita proprio testimonio tanquam humano utens, subiungit. Et habemus firmiter propheticum sermonem, subiungendo quod non uoluntate humana propheta allata est. diuino ergo testimonio, non humano certitudo haberi debet in decernendo iudicialiter res fidei.

Ex dictis autem patet, non solum decernendi uiam duplex, sed & modus duplex, quo credendum esse decerni potest. Nam quædam decernuntur credenda tanquam necessario credenda, ita quod contrarium sentiens est hæreticus; quædam uerò tanquam probabiliter & pie credenda, ita quod contrarium sentiens non est hæreticus, ut de assumptione beatæ Virginis cum corpore, & sanctificatione eius in utero matris, & aliis huiusmodi cõmunis ecclesiæ pietas probabiliter credit. Ratio autem quare omnia uia ordinaria, quam extraordinaria decernendi ea, quæ sunt fidei, sola reuelatio diuina est, in prædictis est: quia scilicet ea, quæ sunt fidei, lumine humanæ mentis excedunt, & ex solo diuinæ uoluntatis beneplacito dependent huiusmodi singularia. scriptum est autem, quod quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis, & quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei, & cui uoluerit Spiritus reuelare. Hæc de primo.

C A P. II.

Quæstio de conceptione quæ non sit de necessario credenda.
Dictis autem uis procedendo, ut propositum deinde fuit, manifestatur primo, quod neutra pars quaerita ut in dubium uertitur, est necessario credenda. Et ratio est, quia neutra in sacra Scriptura certis que fidei dogmatibus necessariis explicite habetur, & utraque pars sustineri potest cum ueritate sacre Scripture: reliquisque necessario creditis a Christi fidelibus. Et de parte quidem illa, quæ tenet beatam Virginem a peccato originali mundatam, certum est quod fidei consonat, tum quia uniuersales propositiones de peccato originali in omnibus purè hominibus, in sacra Scriptura habentur: ut patet ad Romanos 3. & 5. & 2. ad Corinthios 5. tum quoniam uniuersali redemptioni Christi in sacra Scriptura traditæ consonat, tum quia innumera sacrorum doctorum & sanctorum multitudo hæc partem explicite tenuit, ut infra patebit. De parte autem altera credente scilicet beatam Virginem præseruatam a peccato originali, licet quidam scripserint, quod contrariatur sacre Scripture & determinationi ecclesiæ, quidam autem quod non: mihi tamen theologorum minimo distinguendum uideatur circa sensum huius opinionis. Nam potest dupliciter intelligi. Primo, ut beata Virgo sit præseruata totaliter a peccato originali, ita quod fuit exempta ab omnibus ad dictum peccatum spectantibus. Secundo, ut beata Virgo sit præseruata a sola macula peccati originalis per infusionem gratiæ personæ.

nalis. Est autem inter istos duos sensus maior distantia, qua inter cœlum & terram. Nam cum anima alicuius hominis qui generatur, incurrit originale peccatum, non solum macula originalis peccati contrahitur, sed in primo instanti, in quo anima rationalis creanda infunditur, & infundendo creatur, prius secundum naturam ordinem caro seu materia, cui anima infunditur, est infecta; utpote genita ex commixtione utriusque parentis, & propterea anima, quae infunditur illi carni, contrahit maculam iam seipsa originalis peccati, quae infunditur carni infectae; non solum macula ex carnis infectione contrahit persona in utero genita, sed multa alia, scilicet clausam cœli ianuam, fomitem peccati, & penam mortis temporalis; ita quod infecta caro, cui infunditur anima est, in qua fundatur ratio non potentia contrahendi originale peccatum, sed ratio contracti in propria persona debiti, quod contrahitur in anima rationali sua peccatum originale, & secundum maculam, & secundum reatum poenarum spiritualis & temporalis, immo est talis carnis infectio peccati originalis in utero inexistens in persona, quae tunc simul concipitur, & concepta est. Quocirca positio dicens beatam Virginem praeservatam totaliter a peccato originali, dicit ipsam non contraxisse carnem suam infectam: ac per hoc non solum sine macula peccati conceptam & reatibus & fomitem: sed et sine debito in propria persona habendi haec positio uero dicens beatam Virginem praeservatam solum a macula peccati originalis, & iis quae macula sunt inseparabilia (ut est reatus aeternae poenae damni) non negat beatam Virginem carnem habuisse infectam: ac per hoc in propria persona debitum contrahendi maculam originalis peccati, & quoad maculam, & quoad reatus omnes & fomitem: sed praeservante Dei gratia, non redundavit in animam illius macula peccati originalis, licet redundauerit & fomes, ligatus tamen, per gratiam & reatus clausam ianuam uitae aeternae, & mortis temporalis: quia haec poena, scilicet mortis, erat naturae ex parte carnis; illa, scilicet clausam ianuam erat naturae ex parte temporis: quia si Christus adhuc non aperuerat per suam mortem ianuam paradisi clausas per originale peccatum: & similiter fomes ex parte carnis se tenet.

C A P. III.

Quenam de conceptione sententia fidei aduersetur?

Inter has igitur opiniones haec mihi videtur quoad fidem differentia, quod positio dicens beatam Virginem esse praeservatam a peccato originali & reatibus, &c. est contraria fidei catholicae: quoniam repugnat his, quae in sacra scriptura & alijs documentis fidei certis & necessarijs continentur. Oportet namque de beata Virgine firmiter credere, quod Christus est mortuus pro ipsa, & quod ipsa est mortua morte peccati: quoniam in sacra scriptura habetur ista condicionalis, Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt: ut patet secundum ad Corinthios 5. cap. Constat enim quod omnis condicionalis vera est necessaria: & quod ad destructionem consequentis ad destructionem antecedentis valet argumentum. Formata ergo ratione clare apparebit, Scripturam esse falsam, & fidem nostram procedendo sic: Si Christo mortuus est pro omnibus, omnes mortui sunt: sed per istam positionem, Non omnes mortui sunt, quia beata Virgo non est mortua morte peccati: ergo Christus non mortuus pro omnibus: quod est manifesta heresis. Non potest hic locus glossari, quod omnes distribuatur generaliter, & quod patitur exceptionem, & similia: quoniam constat

A quod in hac propositione illud signum, Omnes distribuit pro omnibus sine ulla exceptione: quorum hereticum constat esse, dicentem Christum non esse mortuum pro omnibus sua ulla exceptione. Nec etiam potest negari, quin de morte peccati sit sermo in consequenti, unde Augustinus in 6. contra Iulianum, tractans haec uerba Apostoli, concludendo dicit haec uerba. Consequens ergo esse voluit ut omnes intelligantur mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato mortuos esse omnes, pro quibus mortuus est Christus, nemo neget, ne mo dubitet, nisi qui se negat, aut dubitat esse Christianum. Haec ille. Unde cum opinio illa neget beatam Virginem mortuam morte peccati, ac per hoc Christum non mortuum esse pro ipsa, sustineri iudicio meo non potest. Et ne longius protrahatur, hoc oportet summarie ante oculos habere, quod iste quinque propositiones sunt omnino confutendae, scilicet, Christus non mortuus est pro beata Virgine: beata Virgo est aliquo modo mortua morte peccati: beata Virgo est reconciliata Deo per Christum; beata Virgo est redempta per mortem Christi, beata Virgo etiam post sanctificationem sui, non nisi per Christi mortem aditum habuit paradisi apertum. Quibus adduntur aliae aut per se notae, scilicet, quod omnis reconciliatus fuit inimicus, & quod beata Virgo mortua est morte temporali aut determinate per ecclesiam, scilicet, omnis homo redemptus a Christo fuit uere captivus, & mors est poena peccati originalis. Primam namque harum refert Augustinus ad portam de origine animae a papa Zozimo decretam, dicens, In epistola Zozimi sic legitur: nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur: nec redemptus dici potest, nisi qui uere per peccatum fuit ante captiuus, sicut scriptum est, Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Et subdit, In his uerbis Apostolicae sedis tam antiqua atque fundata certa & clara est fides catholica, ut nefas sit illa dubitare Christiano. Haec ille. Secundam uero, scilicet, quod mors est poena peccati originalis, constat decretam esse a concilio Mileuitano: ut patet de cons. dist. 4. cap. placuit, Unde patet quod distinctio illa de redemptione praeservatiua, uel liberatiua, quo ad homines reprobata est, per Rom. Ecclesiae determinationem, quamuis S. Bernardus super canonicis sermone 22. illam usurpauerit quo ad Angelos. Sunt & aliae uniuersales propositiones certa & indubitatae, scilicet per unum hominem peccatum transit in omnes, & per peccatum mors, ad Rom. 5. Et omnes in Adam peccauerunt, ad Rom. 3. Et quisquis hominem alium esse putat cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, excepto uno Mediatore, contrarius est sacrae Scripturae, inquit Augustinus in li. de perfectione iustitiae. Et solus Christus habuit similitudinem carnis peccati. Et aliae huiusmodi, quae aut nullo modo, aut uix possum saluare ab huiusmodi opinione, si tamen opinio nominanda est, quum videatur manifestus error in fide. Unde Xyxtus 4. in extrauaganti, graue nimis, de hac positione non se impediuit, sed solum de praeservatione beatam Virginis a macula peccati originalis, ut expresse patet legenti illam. Damnanda ergo uidetur specialiter positio, quae assereret beatam Virginem totaliter praeservatam a peccato originali, ut scilicet nihil eius incurreret, quamuis neminem adhuc sciam hoc tenuisse.

In secundo autem sensu intellecta opinio de praeservatione beatam Virginis, scilicet quod praeservata est a macula peccati originalis, & non ab infectione carnis, ac per hoc nec a debito in pro-

pria persona illius macula, nec à fomite & pœnis, non est contraria sacrae Scripturae, nec determinationi ecclesiae, nec aliquibus necessario creditis, quoniam beata Virgo præseruata ex speciali præuentione gratiæ à macula originalis peccati, & habens cætera quæ diximus, non est extra latitudinem mortuorum inimicorum, indigentium remissione peccatorum, captiuorum, habentium carnem peccati, obnoxiorum morti & clausuræ cœli. Et cõsequenter nõ est extra latitudinẽ eorum pro quibus Christus mortuus est, reconciliatorum, liberatorum, redemptorum, mundatorum, introductorum denique per Christi mortem in vitam eternam animarum & corporis. Et in promptu ratio est: quæ ex eo quod habuit carnem infectam cum fomite legato & reatibus, egebat futuro remedio per incarnationẽ & mortem Iesu Christi exhibendo. Et ex eo quod in propria persona habuit debitum contrahendi maculam originalis peccati in nõ initium, vnde redundare in animam suã debebat originalis peccati macula, gratia illa quæ præueniendo sanctificauit eam, ligando etiam fomitem habuit rationẽ gratiæ mundatiuæ, reconciliatiuæ, redemptiuæ, &c. Liberans namque animam à macula non actualiter habita, sed ex propria carne tunc debita, & in eadem carne tunc iniuriata, non extra latitudinem liberanti quæ à peccato, mundantium à sordibus, redimentium à captiuitate. Neque enim vno modo tantum quodlibet horum dicitur, sed latitudinem habet. Dicitur namque captiuus non solum qui totaliter in captiuitatem est redactus: sed qui cepit in sui aliqua parte duci in captiuitatem & obnoxius est captiuitati. Et similiter dicitur mors peccati, nõ solum ipsa actualis mors, sed debitum & initium in propria persona habendi illam. Et similiter dicitur à peccato originali mundatus, non solum qui à contracta actuali macula mundatus est: sed qui à macula quidem in debito & initio in propria persona fundato, & relinquitur tot quasi partibus peccati originalis actualiter contractis mundatus est: & sic de alijs. Nec putet quisquam de mea hæc phantasia me proferre, sed videat diuum Tho. in Prima secundæ, quæst. 81, art. 3. (ubi inter alia tractat etiam illud ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum trãsiit in omnes, & per peccatum mors, inuenientem quæ per mortem sufficit intelligere debitum, seu rarum in propria persona mortis, quamuis nunquam actualiter aliquis moreretur. Ex quo habetur (quod cum Apostolus duo simul dicat) scilicet quod in omnes peruenit peccatum & mors sicut secundum scilicet mors sufficienter saluatur, exponendo mortem vel in actu vel in debito in propria persona, ita & primum scilicet peccatum, saluatur exponendo peccatum in actu, vel in debito in propria persona. Dixit autem toties in propria persona: quoniam si debitum aut initium peccati originalis nõ ponitur proprium illius, qui concipitur, sed commune, iam non saluaretur, quod illa persona esset mortua, redempta, reconciliata, &c. Nec esset formalis differentia inter errorem Iuliani contra quem scribit August. ponentis per gratiam redemptionis Christi filios Christianorum præseruatos à peccato originali, quod habebant in debito commune: sed esset materialis differentia, quia ille gratiam præseruationis communem Christianorum filius poruisset, hic autem poneretur propria vni. Saluatur quoque manifeste in hac positione singularis prerogatiua Iesu Christi, quod solus conceptus est sanctus, & non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: non solum ea ratione, quia ipse

ex vi, seu natura sue conceptionis, quæ: natiuitas in utero vocatur, sanctus nascebatur (iuxta uerbum Gabrielis ad beatam Virginem. Quod ex te nasceatur, sanctum) sed et quia beata Virgo concepta est cum carne infecta, sed cum anima sancta ex gratia impediente redundantia infectæ carnis in maculam aia. Saluatur & oēs uniuersales propositiones in Scriptura & ecclesiæ determinationibus ut facile puto apparere exercitatis ingenii ex dictis. Nec obstat dictis si obiciatur quod reatus & fomes diuini consequuntur infectam carnem mediãte macula in aia: ac per hoc si macula non est subsecuta, nec ista sunt secuta, immo videtur quod sine macule incursum, in ista aia rea remaneat, quum penæ proprie culpæ originalis tñ sint pœnæ. Hoc inquam non obstat: quia mediatio macule, licet sit ordinaria, non tamen est sic necessaria, ut impedita macula oportet impeditam esse consecutionem aliorum omnium: sufficit. n. quod omnium horum communis radix, infecta caro, sit in instanti illo, quo anima infunditur infectæ carni. Nec est iniustum quod habenti culpam in proprio debito & initio, actualis culpæ incursum impediatur & reatus pœnarum natura remaneant: quoniam extra propriam culpam originalem omnino non est qui in proprio debito & initio illam habet. Et quoniam in hoc sensu prædicatur hodie beata Virgo præseruata à peccato originali ab his qui dicunt ipsam sine originali peccato conceptam, ita quod per peccatum originale intelligunt maculam peccati originalis, ut patet ex prædicta bulla, seu extrauaganti Xysti quarti edita in fauorem huius opinionis de præseruatione à macula originalis peccati, & ex studio Scoti in 3. sent. dist. 3. q. 1. ad hoc tendentis, ut a culpa, ostenfa inuincitiaeque animæ beatæ Virginis in conceptione præseruaretur: ita quæ pœnari nunc per Baptismum, & olim per circumsionem liberi sunt effecti. Et ex defensionibus francisci de Maioribus in 3. sent. dist. 3. q. 2. in quibus conatur saluare sanctitatem formaliter, cuius sola est anima susceptiua in beatæ uirginis conceptione præoccupantem peccatum originale: idcirco, quum de duabus opinionibus de conceptione beatæ Virginis erit reliquus sermo, an mundata, an præseruata fuerit ab originali peccato, de ipsa macula originalis peccati intelligendus est. Quocirca coercende sunt prædicata torum lingua, scriptorum que manus in hac questione, & neutram debent dãnare partem ut erroream, ut fidei, ut sacrae scripturae, aut ecclesiæ determinationi contrariam: sed sobriè scribere & loqui debent, & nõ plus sapere, quam oportet, iuxta apostolicæ sedis præceptum à Xysto quarto editum.

C A P V T H I I I .

K *Sententia tenens beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam quam probabilis existat.*

Quum igitur neutra pars sit necessario credenda, oportet uidere, altera an utraque sit probabilis. Quod enim pars illa quæ tenet beatam Virginem esse à peccato originali mundatam, probabilis sit, ex eo patet quod tot sancti doctores, & tot illustres doctores in Theologia, & in iure canonico, qui scripserunt, hanc partem non in communi, sed in singulari nominatim de beatissima Virgine Maria loquentes docuerunt. Ecce fingere uidear, nominatim sanctos in suis locis afferre censui, ita ut eorum nõ solum nomina & loca, in quibus hæc scripserunt, sed uerba afferantur. Occurrit ergo quoddecim sancti. Sanctus Augustinus super psalm. 34. dicit, Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum, caro autem Domini ex Maria

ria mortua est propter delenda peccata. Et in libro secundo de Baptismo paruulorum dicit, Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum unquam habuit, nec assumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Et in lib. 10. super Genesim ad litteram dicit, Corpus Christi quamuis ex carne feminae assumptum sit, quae de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat: tamen quia non sic in ea conceptum fuit, quomodo fuerat illa concepta, ideo ipsum non fuit caro peccati sed similitudo carnis peccati. Sanctus Ambrosius super Beati immaculati, dicit, Venit Dominus Iesus, & in carne, quae peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.

Sanctus Iohannes Christostomus super Matthaeum dicit, Quamuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit.

Sanctus Eusebius emisenus episcopus in secundo sermone Natiuitatis Domini, qui incipit, Noctis charissimi, ait: peccati originalis, nexu nullus in munis exiit, nec etiam ipsa genitrix Red.

Sanctus Remigius super Psalmum, Deus Deus meus respice, dicit, Beata Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita ut ex ea conciperetur sine peccato homo Christus Iesus.

Sanctus Maximus in sermone de assumptione beate Virginis dicit, Beata Virgo gloriosa fuit in utero matris sanctificata ab omni contagione originalis culpe antequam nasceretur, & per Spiritum sanctum mundata.

Sanctus Beda in homilia super Missus est. (& habetur in glossa ordinaria) dicit Spiritus sanctus topucniens in Virginem matrem eius ab omni vitiorum forde castificauit, & ab omni estu concupiscentie carnalis cor eius temperauit atque mundauit.

Sanctus Anselmus in libro, Cur Deus homo, c. 16. dicit, Licet ipsa Christi conceptio mundata sit, Virgo tamen ipsa unde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius.

Sanctus Bernardus in Epistola ad Lugd. dicit, Beata Virgo post conceptum in utero iam existens sanctificat. onem accepit creditur, quae excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem, non conceptionem.

Sanctus Gerardus episcopus & martyr in sermone natiuitatis beate Virginis dicit, O felix puella, quae concepta in peccato purificatur ab omni peccato, & filium concipit sine peccato.

Sanctus Antonius de Padua ordinis minorum in sermone de natiuitate beate Virginis dicit, Beata Virgo fuit in utero matris a peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata.

Sanctus Thomas de Aquino in 3. par. q. 27. ar. 2. dicit, Beata Virgo Maria, quia fuit concepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit.

Sanctus Bonaventura ordinis Minorum in 3. sen. di. 3. q. 1. ar. 2. dicit, Dicendum est quod beata virgo fuit concepta in peccato originali, & quod eius sanctificatio subsequuta est peccati originalis contractionem. Hic modus dicendi est communior, & rationabilior & securior. Communior, quia fere omnes id tenent. Rationabilior quia esse naturam praecedat esse gratiae, &c. Securior quia magis consonat fidei pietati, & sanctorum auctoritati, &c.

Sanctus Bernardinus ordinis Minorum in sermone suorum opere tertio incipiente, Ignis a facie eius exarsit, in tractatu de beata Virgine, sermone quarto, incipiente, Sicut sol oriens mundo, dicit, Tertia fuit sanctificatio maternalis, & ista remouet

A culpam originalem, confert gratiam, & remouet pronitatem ad peccandum tam mortaliter, quam venialiter, & haec fuit in Virgine matre.

Sanctus Vincentius confessor in sermone de conceptione Virginis dicit Beata virgo Maria fuit in originali peccato concepta, sed eadem die & hora statim post animationem fuit per sanctificationem a peccato contracto mundata.

Prater dictos autem sanctos multitudo magna antiquorum conuenit dicens in indiuiduo beatam Virginem conceptam in peccato originali, quorum dicta aut in fonte, aut in libro domini Iohannis de Turre Cremata, & magistri Vincentii de Castro nouo, de conceptione Beate Virginis compilati, unde sumpta sunt inuenire quilibet potest.

B Hi sancti atque doctores probabiliter valde reddunt fidem credentium, beatam Virginem in originali peccato conceptam.

Et Quia auctoritates istae non de humano genere, aut Christianis in communi, sed de beata Virgine in indiuiduo expressa loquuntur, ideo glossa illa, qua Sanctorum auctoritates intelligenda, dicitur de lege communi, & non de privilegio singulari, locum hic nullum habet, tum quia glossa huiusmodi de lege communi, aut privilegio locum habere potest, quando est sermo in communi, seu uniuersali (propter quod non attulit uniuersales propositiones Sanctorum solum Christum a peccato originali excipientium) sed quando est sermo de aliquo singulari indiuiduo nominato, locum non habet glossa, quod intelligatur de lege communi: nisi hoc (scilicet sermonem esse, quantum est ex lege communi) specificetur, vel ex ignorantia, aut maleuolentia, aut dissimulatione hoc procedat, quae oia longe a sanctis, & eorum auctoritatibus allatis esse constat. Tum quia ex eo quod sancti doctores B. Virginem in particulari explicant, subiacere legi communi in conceptione cum peccato originali, & excipit ipsam B. Virginem a communi lege aliorum in duratione peccati originalis (quae dicit ipsam ex privilegio sanctificatam in utero) constat quod sancti & doctores antiqui B. Virginis privilegia serutati nullum de praeservatione eius a macula originalis peccati privilegium admiserunt.

D Excludunt quoque dictae auctoritates glossam aliam, scilicet de facto, vel ex debitis, vel (& in idem redit) quantum est ex se, vel ex causa extrinseca. Quasi sancti intenderint quod beata Virgo incurrent peccatum originale non de facto, sed de debito: hoc est quia debuit contrahere originalem maculam, sed non contraxit de facto, similiter quod quantum est ex se, beata Virgo contraxisset peccatum originale, sed de facto non contraxit ex causa extrinseca, Deo, scilicet praeseruante per suam gratiam. Hanc, inquam, glossam excludunt, Tum quia ly de debito, & ly quantum est ex se, est conditio finis quid aut diminuens: quum habens aliquid quantum est ex se, uel de debito non habet illud simpliciter & absolute, sed si solum ex debito habet, secundum quid habet: & si solum quantum est ex se habet, non habet illud, sed oppositum illius. Sancti autem & doctores dicunt quod beata Virgo habuit peccatum originale sine ulla conditione secundum quid, aut diminutione, ac per hoc simpliciter & absolute. Tum quia non deerant uocabula sanctis & doctoribus, quibus debitum originalis peccati in beata Virgine, & non peccatum ipsum explicarent. Tum quia petendum est ab iis, si uerba ista, beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & similia, non explicant quod ipsa de facto contraxit originale peccatum, quibus uerbis

uti

vi debebant sancti, & doctores ad hoc explicandū. **F** In his namque explicatur persona B. Virginis nominatim, ut subiectum originalis peccati: explicatur tempus conceptionis, explicatur originale peccatum, explicatur factum per se concepta est, contraxit, & similia, quid ultra debuit apponi? Et si ista hic non significant, consequens est, ut dicentes oppositum. i. Beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, non significant hoc, quod dicunt. Fatuæ ergo atque temerariæ sunt huiusmodi non extensiones, sed corruptiones autoritatum, locutionumque Latinarum.

Repellunt et dicte autoritates glossam de conceptione ante infusionem animæ, vel in ipso instanti infusionis animæ, quasi Sancti, & doctores intendat, quod beata Virgo fuit concepta in peccato originali, quo ad conceptionem ante infusionem animæ, & non quo ad conceptionem in infusione animæ. Tum quoniam sancti, & doctores ita loquuntur de conceptione beatæ Virginis in peccato originali, sicut de conceptione aliorum hominum per commixtionem seminum genitorum. constat autem, quod sermo semper est de conceptu in infusione animæ: ergo. Tum quoniam ante infusionem animæ non habet locum peccatum originale, quoniam sine anima rationali non inuenitur culpa originalis. Tum quoniam loquuntur de beata Virgine, constat autem quod ante infusionem anime non erat beata Virgo: Restat ergo, ut sola illa stultitia pro glossa Sanctorum, & antiquorum doctorum admissione digna sit. si Sancti, & patris doctores nunc essent diceret oppositum. Hanc ergo glossa veram putauerim, quæ ad modum verum puto, quod si Christus nunc in terris conuersaretur, mutaret doctrinam fidei suæ, ut conformaret se populis, &c. Srant igitur solida allata Sanctorum, & doctorum autoritates ad sustinendum beatam Virginem conceptam esse in peccato originali, & propterea rationabilem probabilemque esse partem illam constat.

CAPVT V.

Quantum valeant argumenta tenentium Beatam Virginem ab originali fuisse preseruatam.

Alterius autem partis (scilicet quod beata Virgo preseruatata est de specialissima gratia à macula peccati originalis) probabilitas afferitur ex noue: ex autoritate doctorum multorum, ex determinatione synodi, ex cultu ecclesiastico, ex indulgentia concessa, ex communitate sequacium, ex scâdalo piarum aurium, ex pietate opinionis, ex reuelationibus nouis, ex miraculis. Quæ sigillatim examinanda sunt pro veritatis honore.

Doctores tenentes beatam Virginem esse preseruatam sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus. Paulo ante tamen aliqui, licet pauci fuerint, ut Scotus, Franciscus de Maironis. Et beatæ Brigidæ reuelatum dicitur beatam Virginem preseruatam esse ab originali peccato.

Sed hæc probabilitas valde exigua est: tum, quia est contra tot Sanctos, & nullus est inter istos Sanctus. Sanctæ autem Brigidæ eregione ponitur Sancta Catharina de Senis, quæ dixit sibi reuelatum esse oppositum, ut refert Archiepiscopus Florentinus in 1. par. Summæ suæ, titu. 7. cap. 2. circa finem.

Et maiori fide digna vult Sancta Catharina, quia canonizata est sicut ceteri sancti: sancta vero Brigida canonizata est tempore schismatis, quo nullus habebatur certus, & indubitatus Papa, à Bonifacio in sua obedientia nono. Tum, quia in ijs, quæ sunt fidei, magis sentiendum est cum antiquis, quam cum

modernis. Tum quia ipse Scotus, qui primus doctor, aut inter primos introducit hanc opinionem, timet hanc opinionem sequi. Nam in 3. sent. dist. 3. q. 1. post tractatas de conceptione Virginis cum peccato, aut sine peccato originali opiniones dicit, Quod autem horum factum sit, Deus nouit, si autoritati ecclesiæ, vel autoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile quod excellentius est artribuere Mariæ.

Quod autem noui sint omnes doctores, hanc opinionem tenentes pater, ex eo, quod magister sent. de Sanctorum testimonio in re hæc dicit in 3. dist. 3. Sanæ dici potest, & credi oportet iuxta Sanctorum attestationis conuenientiam, ipsam (scilicet Christi) prius peccato fuisse obnoxiam sicut & reliqua virginis caro: sed sancti Spiritus operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis viretur verbo, Hæc ille. Et S. Bonauentura in 3. sent. dist. 1. q. 1. loquens de autoritate sanctorum dicit, Nullus autem inuenitur dixisse de ijs, quos vidimus, & audimus auribus nostris beatam Virginem fuisse ab originali peccato immunem in sui conceptione. Et Adam angelicus in 3. sent. dist. 3. dicit, Si credendum est dictis sanctorum, tenendum est beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali, & nullus sanctorum inuenitur dixisse contrarium.

Hæc ille. Et ipse Franciscus de Maironis, in 3. dist. 3. q. 2. ar. 4. dicit, quod non obstante quod B. Virgo fuerit preseruatata à peccato originali, propter dicta tamen sanctorum possumus dicere quod aliquo modo peccatum originale contraxit. In quibus verbis ipsemet ostendit, quod dicta sanctorum cogunt ad confitendum peccatum originale in beata Virgine. ipse enim labor istorum ad glossandum dicta sanctorum testatur, quod sancti contrariam suæ opinionis sonant. Quamuis vanus sit eorum labor, nisi ad autoritates sanctorum, quæ in eoi de humani generis originali peccato loquuntur, referatur. Illa namque quæ de originali peccato in beata Virgine in indiuo contracto loquuntur, glossari nequeunt, ut pater ex dictis. Propterea non est mirum, si nullus Sac. nullus illustris doctor antiquus pro hac parte afferatur, nisi forte à falsarijs. Vnde autoritates quorundam sanctorum, (scilicet Aug. quum de peccatis agit de Maria propter honorem Dni, nolo hæc questionem. et Anselmi, de cuius in fer. Domini ea puritate niteret, &c. et s. Thom. in 1. sent. Immu nis fuit ab omni peccato, &c. & si quæ sunt similes quæ pro hac opinione afferuntur) licet scholastica disputatione non sint indignæ, à iudicio tamen veritatis procul esse debent, quoniam non dictis facile veras glossas & expositiones rationabiles habentibus extorqueri debet hæc singularis veritas, sed debent afferri autoritates sanctorum, & antiquorum non in genere, sed in specie peccati originalis maculam negantes à beata Virgine, non tpe conceptionis Iesu Christi, sed tpe conceptionis propriæ, ut nos fecimus pro opposita opinione, præmittendo cõmunia. Constat nihilominus allatos tunc sanctos expresse docuisse beatam virginem cum peccato originali conceptam, ut pater ex allegatis.

Determinasse quoque dicitur Basil. synodum in sessione 36. pro hac opinione in hæc verba, Nos diligenter inspectis autoritatibus & rationibus, &c. doctrinam illam asserentem gloriosam virginem præueniente & operante diuini numinis gratia, singulari nunquam actualiter subiactuisse originali peccato, tanquam piam, & consonam cultui ecclesiastico, fidei catholice, rectæ rationis & sacre Scripturæ

pturæ ab omnibus catholicis approbandam foret tenendam & amplexandam diffinimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in cõtrarium prædicare seu docere. Hæc ibi Anno Domini, 1439. 15. Cal. Octobris.

Secd isthæc determinatio multo minus prodest quam prima: tum quoniam congregatio illa Basiliensis tunc temporis non erat synodus, nec Concilium, sed erat schismatica: utpote scissa à capite Ecclesie Eugenio quarto: ut patet ex ordine sessionum: nã in 34. sessione, 7. Cal. Julij deposuerunt de facto Eugenium. Et post in sessione 36. 15. Cal. Octobris sequentis determinarunt de conceptione. Vñ hinc non nisi synagoga Satanæ auctoritas afferri potest: quæ licet etiam ipsa verba allata contraria dictis Sactorum, ut in suprã allegatis patet, manifestent, vniuersalis tamen ecclesia adorans tunc & post continuè vsque hodie dictum Eugenium & Nicolaum quintum eligens ac suscipiens superstitie anti-papa Basilicenses conciliabuli Amadeo locupletior testis est. Quocirca allegare Basiliensem synodum pro tempore illo, quo fuit schismatica, perinde est ac si allegaretur Pisanum nuperrime contra Iulium secundum celebratum conciliabulum: quod vidimus omnes, & manibus tetiginus fuisse schismaticum. Tũ quoniam dicto conciliabulo è regione opponitur verum ac venerandum Concilium ex Ferraria in Florentiam translatum Græcorum & Latinorum sub prædicto Eugenio quarto: ubi inter dogmata fidei traduntur hæc verba, Firmiter credit, profitetur, & docet sacrosancta Ro. Ecclesia, neminem vnquam ex viro feminaque conceptum à diaboli domina tu fuisse liberatum, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominum Iesu Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata delendo, solus sua morte prostrauit, & regni coelestis introitum, quod primus hõ peccato proprio cũ omni sua successione perdidit, reseruauit. Hæc ibi. Quæ pro tanto inducta sunt, ut appareat, quòd illo tempore, quo res in quæst. erat, vniuersalis ecclesia solum Christum exceptit ab originali peccato, quod non erat dicendum, si beata quoque Virgo excipienda esset.

Ecclesiasticus deinde cultus affertur, quod iam per omnes fere Ecclesias Latinas festum conceptionis nõ sanctificationis celebratur, insinuando per hoc, quòd non sanctificata est à peccato originali: sed concepta est sine illo beatissima Virgo.

Secd hæc probabilitas dupliciter deficit. Primò, quia multæ ecclesie sunt per orbem diffusæ celebrantes in illo die sanctificationem non conceptionem. Et in hoc ecclesia vniuersaliter in suo sensu abutere permittit: Secundo, quia constat quòd quibuscunque catholicis celebratur hoc festum, celebratur ratione sanctificationis beate Virginis in vtero matris, siue illam sanctificatio fuerit præueniens, & quasi præoccupans peccati originalis actualem incursum, ut opinio ista dicit: siue fuerit mundans ab originali peccato iam contracto, ut altera dicit opinio. Quocirca omnes conueniunt in sanctificatione beate Virginis; & quòd fuit in vtero & quod est rõs celebritatis iuxta illud, Tu solus sanctus, Mariam sanctificans. Licet differant in effectu sanctificationis an scilicet præseruaerit, an mundaerit à macula. Et propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies conceptionis sub nomine sanctificationis, ut nomen consonaret rei.

Indulgentia verò concessa nihil confert huic opinioni sicut nec festi celebritas: quia ad honore bea-

te Virginis ob gratiam propriæ sanctificationis in vtero fertur, relinquendo ambiguum an præseruans à macula, an mundans fuerit gratia illa ut dictum est.

Quòd autem iam cõmunis facta sit hodie ista opinio (ita ut omnes fere catholici Latinæ ecclesie arbitrentur obsequium se præstare Deo in huiusmodi sequela opinionis) ex eo redditur opinione probabilis, quia probabile est quod multis videtur. Sed probabilitas hæc vulgarem auctoritatem non excedit, & eisdem contra ponitur, quòd probabile in veritate est, quòd videtur sapientibus qui ut patet ex suprãdictis, cõtrariam secuti sunt opinionem. Vulgus autem probabilis in apparentia non in veritate constituit.

Quia scandalosa deinde dicitur opposita opinio, & piarum aurium offensiuua à multis etiam vniuersitatibus Theologorum, probabilis redditur ista opinio. Sed quoniam vniuersitates contra tot Sactorum & communem præscorum doctrinam in his, quæ sunt fidei, præsumptuosæ sunt, & scandalum hoc non actiuum, sed passiuum insipientium esset, declarata eis veritate, ideo nihil ex hoc probabilitate sortitur opinio hæc nisi apud ignorantem.

Pietas denique huius opinionis magna esse dicitur, quoniam pius valde est credere, quòd beate Virgini quicquid gratiæ conferri potuit sub Christo tamen collatum est, quoniam illi dixit Angeli, quòd erat plena gratia, & c. hæc radix zelo quidem innititur, sed non secundum scientiam: propter quod à fide ad deum multa abduceret, iuxta hanc siquidem vocatam pietatis regulam liceret cras credere quòd beata Virgo fuit concepta de spiritu sancto, & tñ sub Christo, quia propterea non esset Deus & homo. Possemus quoque dicere, quòd beata virgo erat in hac vita simul viatrix & comprehendens, & tamen sub Christo, quia non in tam alto beatitudinis gradu. Possemus etiã adhuc dicere, quòd ipsa fuit Deus & homo, & tamen sub Christo, quia Christus masculus, & ipsa mulier. Christus vniuersalis redemptor per suam mortem, ipsa non. Et multa forte alia erronea aliquis ex tali pietate deduceret. De solo namque vnigenito Dei credimus, quod non ad mensuram datus est spiritus: beate autem Virgini, & reliquis sanctis, secundum mensuram donationis Christi plus & minus, prout uoluit, datum credimus. Si tamen restringatur ad actualem munditiã a peccati macula dicta propositio, & dicatur quòd pius est credere, quòd beate Virgini quicquid gratiæ, sub Christo tamen conferri potuit ad actualem munditiã a peccati macula collatum est, fateor, quòd pia esset credulitas ista, nisi Sactorum auctoritates obstaret. Quòd Scotus timuit, sed minus docti non timent, propterea fortassis, quia ad pauca respicienter de facili enuntiant.

Nonæ autem reuelationes contra tot sanctos, & antiquos doctores, Angelum satanæ in Angelum lucis transformatum, aut phantasias, vel etiam figmenta ingerere uidentur. Hæc siquidem cum uocatis miraculis, quæ in hac causa afferuntur per mulierculis non pro sacra sunt synodo, unde nec censu digna de quibus uerba fiant.

Ex omnibus autem dictis facile est colligere, quod neutra pars propositæ quæstionis in sensu quo uertitur in dubium, est necessario credenda, & quòd altera (scilicet beatam Virginem esse mundam ab originali peccato) est probabilis, altera uero sci licet dicens, beatam Virginem esse præseruatam a macula originalis peccati, est tolerabilis, & apud sic affectos uel assuetos, aut uere Theologiae sanctorum parum aut nihil habens probabilis.

Hæc

Hæc sunt, beatissime pater, quæ sanctitati tuæ, cuius correctioni atque iudicio hæc, & reliqua a me tam scripta, quam scribenda submitto, offerenda occurrunt. Vnde euidenter cernitur pars credens, beatissimam Virginem ab originali peccato mundatam in sinu Sanctorum doctorum, in præcorum quiescens nihilque sibi timens a sacrosancti synodo (quam quidem a Spiritu sancto, quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines contrarie in fide sententiæ prodire nequeunt) quin potius sperat, si decernendum aliquid est, seipsam tanquam probabiliorem, & sanctorum ac doctorum dictis consonam approbandam exemplo Viennens. synodi sub Clemente quinto, quæ de baptismi effectu decreuit partem probabiliorem, dictis sanctorum & doctorum consonam. Pars verò reliqua credens, beatam Virginem a macula originalis peccati præseruatam, multitudine sequacium & fauoris amplitudine conspicua apparet. Superest igitur P. S. ut inter quindecim sanctos Augustinum, Ambrosium alioque quorum expressa sunt nomina) nec non innumeros Doctores antiquos ex una: & pauidum in causa hæc Scotum, Franciscum de Maironis, Petrum Aureoli (contra tamen patres sui ordinis) modernos, & promiscui vulgi clamores ex alia, mediè tamen arbitere a Christo datus, in hac sancta Lateran. synodi religionis Christianæ, vel ueritatem firmiter amplectandi tradere, vel a publicis locutionibus & scandalis cõsulere digneris: memor illius oraculi, non in multitudine, nec in comunione Dominus. Vale felix semper Augusta. Romæ anno salutis 1515.

Tractatus de conceptione beatæ mariæ virginis editi per Thomam de Vio Caietanum Cardinalem Sancti Xysti, finis.

T R A C T A T V S . S E C V N D V S . T H O M A E
de Vio Caietani Card. S. Xysti De Erroribus contingentibus in Eucharistia.
Sacramento in duodecim
capita diuisus.

S V M M A R I V M .

- 1 Quomodo Ioannis 6. Dominus non modo de fide formata in ipsum habenda, sed de ipsius spiritali manducatione in Eucharistiæ sacramento, locutus fuerit.
- 2 Quod Dominus, Ioannis sexto dicens, Caro non prodest quicquam, non exclusit ab eucharistiæ sacramento carnem suam, nec veram corporis sui spiritali manducationem.
- 3 Quod falsum sit Theologos opinari in Eucharistiæ sacramento corporaliter, & perceptibiliter sumi corpus Christi.
- 4 Quomodo non falso, sed vere existimant Theologi fide venire hominis iudicio & electione, & extendi usque ad sensibilia.
- 5 Quod sibi inuicem minime aduersantur hæc in Eucharistiæ sacramento uerum Christi corpus esse, & spiritaliter tantum manducari.
- 6 Quomodo non docuerunt Theologi non esse cogitandum de mysterio Eucharistiæ.
- 7 Quomodo catholice sint exponenda uerba ipsa forma Eucharistiæ.
- 8 Quomodo non falsum, sed uerum sit deleri peccata per hoc sacramentum Eucharistiæ.
- 9 Quomodo eucharistiæ sacramentum sit sacrificium, & in missa offerri sit institutum à Christo, uel Apostolis.
- 10 Quomodo non sit idolatria adorare sanctum eucharistiæ sacramentum.

F 11 Quod nullus unquam sanctorum doctorum uerbis suis foverit Christi corpus esse in eucharistiæ sacramento ut in signo.

12 Quod non dua, sed una tantum sit salutis uia his, qui fidem habent de eucharistiæ sacramento.

R I M V M caput est, quod Dominus Ioan. 6. non loquitur de Eucharistia, Tum quia loquitur de fide & fiducia hominum in Christo, Tum quia ibidem dicitur, Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Constat autem multos sumere Eucharistiæ sacramentum, & non manere in Christo per fidem charitate formatam.

G Circa hoc aduerte erudite lector, aliquid dicere, & aliquid falsum. Verum quidem est, quod in cap. 6. Ioan. Dominus loquitur de fide formata charitate in ipsum habenda: vnde & prius loquitur de credenda diuinitate sua, & deinde de credenda morte sua pro uita mundi. Falsum autem dicitur, pro quanto excluditur a sermone illo fides sacramenti Eucharistiæ.

Ad cuius euidentiam memento, quod tria inueniuntur in Eucharistia: scilicet sacramentum, quod adoramus, & manducatio sacramentalis, quæ est communis bonis & malis, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 11. Qui manducat & bibit indignè, ubi clare patet indignos manducare & bibere sacramentum tali manducatione & potu: hoc est, sumat hoc ita sacramentum, non ut panem, sumunt enim credendo illud esse sacramentum corporis Christi. Tertio interuenit manducatio spiritalis, quæ est propria bonis, quæ fit per fidem formatam charitate: quæ est refectio animæ secundum vitam spiritualem, secundum vitam, de qua dicitur, Viuo ego, iam nõ ego, uiuit uerò in me Christus. ad Gal. 2. His autem tribus inuentis circa sacramentum Eucharistiæ, ex eo quod in hoc capite Dominus non loquitur de uno eorum (scilicet de sacramentali manducatione) non uerè inferitur, quod excludantur reliqua duo, stat enim quod de reliquis duobus loquatur, de sacramento ipso, & de manducatione spiritali sacramenti. Et quidem quod loquatur, de manducatione spiritali, uerba ipsa sonant dicendo, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Manducare enim spiritaliter Eucharistiæ sacramentum, est per fidem formatam charitate in Christo manere, & conuerso Christum in ipso manere. Quod de sacramento quoque ipso loquatur, apparet, Tum quia in futuro loquitur, dicens, Panis, quem ego dabo, nondum siquidem instituerat sacramentum Eucharistiæ, quum hæc diceret in synagoga Capernæ, constat enim quod sacramentum Eucharistiæ institutum est Hierosolymis in nocte, qua tradebatur, tum quia distinguit manducare & bibere, dicens, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Si nãque de hinc de solius mortis sue pro uita mundi loqueretur, sat fuisset explicare mortem suam pro uita mundi per separationem carnis a sanguine, quæ in cruce facta est: sed ubi non solum carnis & sanguinis separationem pro uita mundi, sed carnem precipit manducandam, & sanguinem bibendum, si uitam uellemus hinc in nobis ipsis insinuauit, quod sacramentum erat institutum corporis & sanguinis sui per modum cibi & potus: ita quod nisi spiritaliter manducauerimus & biberimus carnem, & sanguinem in cruce immolanda & in sacramento cõtinenda

non